

tanto peius adfirmo quanto maior ac melior est mortali-
libus Deus. Neque ullus tibi forte persuaserit dicens :
Nihil de non uxore accipienda Dominus praecepit. Nec
40 me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non
nuptias vetuit. Verum in te nomen adulterii accipiet, si
volueris, quod absit, nuptias cogitare. Et quid mirum si
nuptiae tales quibus offenditur Deus adulterio comparan-
tur ? Maius longe audies : homicida iustorum laude dona-
45 tur et misericors plus quam homicida punitur, cum illud
vetante fit Domino, istud volente. Et Finees quidem ad
iustitiam reputatum est, cum impudicum cum turpi
femina virum uno gladio perculisset. Saul autem Samuel
servus Dei in luctibus, lacrimis, precibusque pernoctans
50 damnatione cui illum addixerat Deus liberare non potuit,
cum hostium duci quem debuerat trucidare invito par-
cendum credidit Deo. Cum haec ita sint, stupere desiste
si nuptiae peiores adulterio iudicantur, quoties Christus
offenditur. Atque ut illud repetam quod in principio epis-
55 tolae posui. Si militiae te vincula non tenerent, quis tibi
desertionis crimen obiceret ? Nunc autem nihil in te
penitus tibi iuris est, quippe qui tanto imperatori militare
coepisti. Nam si mulier proprii corporis non habet potes-
tatem sed vir, multo magis hi qui Christo potiusquam
60 sibi vivunt, sui dicionem corporis habere non possunt.
Qui nunc a te, Theodore, contemnitur, ipse te tunc sine
dubio iudicabit. Hoc praecipue cogitemus, prospiciamus
et illum igneum fluvium. «Fluvius, inquit, ignis praeibat
ante eum.» Et quod qui illis semel traditus flammis spe-